



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

Vita Benedicti Papae VI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

ANNO
CHRISTI
972. gestum fuerit nos præterit, nisi quod invita sancti Vdalrici episcopi
Augustani legitur, quod ille relicto episcopatu ad monasticam vi-
tam transeundi potestatem sibi fieri postulauerit, communique iudi-
cio responsum acceperit, nequaquam illud expedire, ne factum viri
sanctissimi aliis peccandi occasionem præbeat, qui in gratiam suo-
rum nepotum, quos vellet ista ratione ecclesias, non sine graui to-
tius populi detimento, obtruderent. Vide Baronium anno 972.
num. 3. & sequentibus.

Vdalrico
quid nega-
tum.

VITA BENEDICTI PAPÆ VI.

BENEDICTVS patria Romanus, filius Hildebrandi, post
obitum Doni subrogatus est in locum eius XIII. Ka-
lendas Decembbris, anno Redemptoris 972. Huius tempo-
ribus Otto magnus imperator funeribus matris & Vvi-
lelmi Moguntini episcopi præmissis mortuus est in Sa-
xonia anno imperii sui duodecimo. Adelais relicta con-
iunx animam defuncti Ottonis mariti sui prosecuta fuit
iis pietatis officiis quæ a Vvitichindo in fine libri 3. descri-
buntur. Post obitum patris Otto secundus solus imperare
coepit, qui cum patre sextum annum imperii sui inchoau-
erat. Benedictus a Bonifacio Francone Romano Ferniti filio,
cardinale diacono, viro scelestissimo, captus & in car-
cerem detrusus, strangulatus est ab eodem, anno Christi
974. cum sedisset annū vnum, menses tres, & dies aliquot.
Sedem apostolicam sacrilega cæde optimi pontificis va-
cantem sacrilegus homicida Bonifacius, qui septimus eius
nominis reperitur alibi nuncupatus, violenter inuasit, eam-
que annum vnum & mensem tenuit. Hunc ego, antiquo-
resscriptores imitatus, inter veros & legitimos pontifices
numerandum non esse iudicaui, quod sedem apostolicam
turpiter ingressus, turpius deseruerit. Nam cum post mul-
ta alia scelera & flagitia homo nefarius Vaticanam basili-
cam omnibus ornamentiis suis expoliasset, Benedictus Al-
bericorum, de quorum familia erat, ope & auxilio fretus,
eum usque adeo exagitauit, ut Roma relicta Constantino-
polim abire cogeretur. Quando & qua occasione Romam
redierit, dicam infra in vita Ioannis XIV.

Benedictus
VI. quando
pontifex fa-
ctus.

Ottonis
imperato-
ris mors.

Benedicti
papæ mors
qualis.

Bonifa-
cius VII.
pseudo-
pontifex.